

FRIDERICVS GOTTESHEMVS ARGENTINENSIS SE-
nator.



Ridericus ex honesta familia natus, & in omni genere literarum & uirtutū optimē educatus fuit. Is cū adoleuisset, peregrinas nationes inuisit, & sibi magnum rerum usum comparauit. Itaq; in patriā reuersus, inter senatores cooptatus, & multis honestis officijs decoratus fuit. Ea Fridericus singulari dexteritate administravit, atq; ob multas animi & corporis uirtutes omnibus innotuit. hinc factum cum Heinricus Galliae rex anno 1552 mense Maio Germaniam uersus cum exercitu ad Rhenum tenderet, ut Fridericus cum Petro Sturmio & Ioanne Sleidano legatus Sarburgum usq; missus fuerit, qui certum frumenti & uini modum offerrent, atq; de alijs rebus cum eo transigerent. id quod semel atq; iterum diligenter factum fuit. Postea quoq; mense Septembri, cum Carolus Imperator Metim tenderet, unā cum Iacobo Sturmio atq; Ludouico Grempio, ad eum legatus missus, ut Argentinensium finibus parceret, ac pacato animo urbem intraret. quod & ipsum à Cæsare facile impetrarunt. Hoc modo factum ut Gotteshemus sibi magnam gratiam conciliarit, atq; ob præclarissima omnibus gratissimus Argentinæ extiterit.

Ioan. Sleid.